DE EPILEPSIA DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD SUMMOS...

Giovanni Battista medico
Pagani (medico)



DE EPILEPSIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS LAUREAE HONORES

IN

MEDICA FACULTATE

ADSEQUENDOS

IN PERVETUSTO AC CELEBER. PATAV. ARCHIGYM.

PUBLICE HABUIT

JOH. BAPTISTA PAGANI

BELLUNENSIS



PATAVII

TYPIS PENADA

1859.



Quamquam nihil aliud ardenter optassem, quam hujus diei adventum, lectissimi et ornatissimi viri, et illum, quo nobis placet, labores nostros remunerari laureae honorem; quod tali munere ad publicum commodum promovendum reclusam mihi esse viam judicabam; fateor tamen caerimoniae novitatem, hujus loci frequentiam, praesentiae vestrae majestatem, et decus mihi adeo animum commovere, ut cum de aliqua re medica in conspectu vestro dicere debeam, verba facere reformidem; sed ea mihi cogitatio percommoda accidit, et prope perterritam mentem erigit ac sustentat, certo futurum, ut ea me humanitate, et nunc maxime excipiatis, qua semper toto meorum studiorum curriculo benigne excepistis. Jam vero, et illud admoneo, me de epilepsia disserentem nec nova, nec recondita exhibiturum; tempus enim et occasio mihi defuerunt, ipsaque juventus mea me satis excusat si in hoc argumento pertractando nec

magnam eruditionis copiam, nec observationum novitatem vobis patefaciam. Id quod de hoc morbo sapientissimi viri senserunt, et tradidere, quod a longa experientia probatum fuit, colligere cogitavi, aliquo ordine destribuere, et brevi sermone amplecti. Quod si in hac mea Dissertatione aliquod attentione vestra dignum inveniatis, non inutilem nec spernendum meum laborem esse credidero.

Epilepsiam nuncupamus illam speciem morbi spasmodici, clonici, intermittentis, cujus accessus vertigine praemonentur, et omnium tum internorum, tum externorum sensuum interceptione notantur, cum musculorum prope omnium agitatione et dispnoea: post se memoriae amissionem relinquentem, nunc per longum, nunc per breve temporis spatium perdurantem. Neoterici idem affirmant quamvis jam sub nomine vario scriptores multi illam describere conati sint. (Synonimia. *Morbus divinus* Platonis, *Herculeus* Aristotelis, *Comitialis* Plinii, *Sonticus* Auli Gellii, *Sacer* Celsi, *Analepsia* Araborum et Riverii, *Eclampsia et mater puerorum* Scheneiderii, *le mal de saint Jean, le mal caduc, le haut mal, le mal de terre* Gallorum, *die fallende Sucht* Germanorum, *morbus puerilis, morbus lunaticus* aliorum).

Signa morbi praenuncia. Epilepsiam ut plurimum antecedunt gravedo et dolor capitis, aurium tinnitus, sensuum externorum debilitas, fames modo aucta modo imminuta, somnus nunc profundior, nunc impeditus, balbuties, ad iram propensio, tristitia, sternutationes, longaeque oscitationes; venter

interea strictus, spasmodice circa epigastrium contractus. Sunt qui ante oculos inania simulacra cernunt aut flammas, scintillasque vagantes. Sunt qui dolores alicujus partis corporis ante accessionem persentiunt, aut paralysi nonnullorum musculorum, vel tremoribus, commotionibusque laborare incipiunt. Tissot et Portal observarunt aliquando epilepsiam ab aliqua cutis eruptione enunciatam fuisse. Sed quamvis ista frequentiora sint signa venturae accessionis, tantum abest ut in omnibus conjuncta inveniamus, ut saepe pauca antecedant, et aliquoties aegri, secundum Burserii sententiam, sine aliquo signo praenuncio deprehendantur.

Signa accessionis. Sub accessionis initium aeger, sensuum expers incipit spasmis clonicis valide conflictari: supercilia et palpebrae apprime commoventur; labia protrahuntur exterius veluti rostrum indeque retrahuntur, et os usque ad aures producitur. Boerhawius ait: se vidisse foeminam in qua tam celeriter haec mutatio locum habebat, ut nemo eam attente considerare posset quin vertigines pateretur. Violentae musculorum convulsiones in iis qui hoc morbo occupantur aliquando ossium luxaturam pariunt, ut Lieutand admonuit, et animadversione dignum invenio id quod a clarissimo nostro Burserio traditur. « Virginem, ait ille, patritiam curavi cui, » quotiescumque epilepsia corriperetur, (corripiebatur » autem singulis fere mensibus) humeri sinistri caput » in axillae cavum prolabebatur. » Sed non solum ossa sua sede moventur, propter violentissimam agitationem, franguntur etiam, musculi a proprio situ pelluntur, ipsorumque vagina laceratur. Lingua

ob contractionem musculorum maxillam levantium nunc contrita, nunc etiam abscissa remanet, aut horrendum in modum ex ore producitur: aliquando tanto volumine crescit ut suffocationem minetur. Caput interea insolitos rapidosque motus exercet, et collum ita rigidum observatores invenerunt, ut marmoreo illud compararint. Portal ait, plurimos infirmos ab uno latere motibus clonicis, ab alio tonicis esse correptos, et G. L. Doussin Dubrevil se vidisse affirmat perpetue magnam pollicis contra manuum volam adductionem, quamquam Sauvages aperte declaret hoc pathognomonicum signum non esse in omni genere epilepsiae. Neque minus formidabilis musculorum dorsi, pectoris, imi ventris, extremitatumque concussio habenda est. Longum esset, et forsan inutile opus omnes illos miros motus describere, novasque membrorum formas enumerare. Spasmi clonici et tonici vicissim muscolos tenent nunc *tetanon*, nunc *emprostotonon*, aut *opistotonon* generantes. Pedum digiti inter se disjunguntur, et videntur longitudinis esse duplicis, et pes ita interdum flectitur ut primus digitus sub talaribus inveniatur. Sed non solum musculi voluntati parentes ac subditi tali modo commoventur; commoventur illi etiam involuntariis motibus inservientes: id quod a violenta cordis palpitatione, a frequentissima et praepropera arteriarum vibratione, ab exitu urinae et excrementorum quisquis ex se deducere potest. Nec exempla desunt involuntariae seminis ejaculationis et exitus sanguinis per anum et vesicam. Vox in multis acuta, in aliis gravior solita audita fuit, et aegri quamvis saepius sileant, tamen nunc clamant, verbaque confusa pro-

nunciant. Respiratio sibilosa, stertorosa saepissime evadit, singultus et vomitus adsunt, vomitus autem interdum sanguinis. Plurimi et ore et naribus abundantem spumam emittunt sanguine immixtam ex vulneribus linguae fluenti, a qua odor intolerabilis ac prope cadavericus exhalatur. Facies tumet et rubet, aut pallida fit; pupilla dilatatur, pulsusque, ut diximus, frequentius micant, quamvis, paroxysmo adhuc vigente, Morganius pulsationes rariores notaverit.

Signa in accessionis declinatione. Dum accessiones ad finem properant sudor abundans e capite, e collo, aut corpore toto erumpit, et sudor, juxta observationes De-Uven, aliquoties odorem ingratum emittit. Convulsiones modo repente et cito, modo sensim et lente quiescunt et aegri quasi torpent magnae capitis gravedini, membrorumque laxitati obnoxii, videntur quasi e longissimo somno excitari, nullam rei praeteritae memoriam servare, nullam praesentis sollecitudinem demonstrare. Lingua eorum sanguinem fundit, et echymoses in variis corporis partibus apparent.

Diuturnitas accessionis. Accessus diuturnitas varia est; in multis duarum aut trium horarum spatium raro praetergreditur, in aliis major est. Historiam quidam tradidit puellae annorum viginti, in qua accessiones violentissimae ultra horas quatuordecim producebantur, nec mirum: exempla enim habentur in quibus, ut refert Lamotte, accessiones horas viginti perdurarunt. En ergo signa et decursus hujus morbi, qui ex omnibus, ex quibus humanum corporis affligitur, fortasse teterrimus habendus est; nec vero quod interdum multos homines rapiat et occidat, sed pro-

pter deplorandam miseriam illis ingruentem qui saepe hoc morbo corripiuntur. Quid enim acerbius, et gravius homini contingere potest, quam dejici quodammodo e statu dignitatis suae, sensuum usu et ratione spoliari, ad actus ferinos impelli, et miris commotionibus, concussionibusque formidolosissimis, miserandum sui spectaculum exhibere? Sed hactenus generatim morbum descripsi, differentias haudquamquam notavi, quae si morbi naturam non mutant, tamen distinguunt ac temperant et plurimas varietates in morbi forma inducunt. Et, ut breviter quantum fieri potest, dicam, differentias omnes ad frequentiores redigam, et in primis de illa differentia sermonem instituam, quae a graviori aut mitiori morbo dimanet indeque de illis verba faciam quae a causis, a complicationibus, ab exitu a sede oriuntur.

Epilepsia perfecta et imperfecta. Perfectam epilepsiam illam vocarunt auctores in qua signa jam descripta notantur: imperfectam Sauvages juxta Brendelii et Pitcarnii sententiam, illam appellat, in qua aegri omnes sensus non amittunt, sentiunt, et dolores expertos tempore accessionis postea referunt. Burserius ad hoc genus epilepsiae illos accessus refert, in quibus breviter sensus amittuntur, nam illico redeunt, nihil aliud experiuntur homines, quam alicujus musculi tantum parvique momenti convulsivum motum. Et jam Portal in suo opere recentissimo, de patritia faemina loquitur, quae accessione durante, a sola tonica convulsione musculorum palpebrae superioris dexterae corripiebatur, et de alia in qua sensuum amissio tam brevis erat, ut nemo quasi morbum supervenientem notare posset; vultus

enim illius sic rapide serenitatis indicia sumebat, ut plurimis videretur nonnihil de responso reddendo secum animo reputavisse. Sed cavendum est ne ob levitatis speciem hi insultus epileptici, uti vocant, negligantur; saepe enim in gravem et perfectam desinunt epilepsiam: quapropter medicinam facienti utilissimam hanc esse divisionem invenio, ne errore deceptus aut alium morbum judicet, aut inopportuna remedia pertractet.

Causae. Nos cum de causarum serie epilepsiae disserere volumus, illam divisionem sequemur, quae multis arrisit, causas omnes ita dividentes, ut aliae conditionss illas contineant, juxta clarissimi Fanzago sententiam « quae nostris corporibus insitae, ea certis quibusdam morbis apta atque obnoxia faciunt, » aliae conditiones complectantur quae praedisponentibus causis supervenientes, eas quodammodo ab » ipsorum inertia excutiunt conjunctisque viribus » praeterea morbum excitant. »

Causae praedisponentes. Temperamentum, aetas, sexus, vitia congenita aut haereditaria inter praecipuas causas praedisponentes enumerare non dubito; verum arbitror ad recte cognoscendum harum nocentium causarum in corpore vivo actionem, plurimum necesse esse specialem actionum finalium conspirationem agnoscere, alicujus aut organi aut systematis laesionem producentem. Sed quum haec sub velamine illo lateat, quo multae naturae operationes latent, ita existimo obscurum arduumque cognitu esse; tamen si conjecturis locus concedatur, videtur ita ad hasce finales actiones systema nervosum aut sentiens, et vasculare concurrere ut unum impressiones

aut nimis validas, aut incitantes persentiendo cum propria forti, et continua reactione illa phaenomena contractionum muscularium, a quibus epilepsiae signa desumuntur, producat; aliud ad systema nervosum excitandum valeat, ut illam reactionem pariat, aut ob stimulum auctum, aut ob irritationem elatam. Videntur actiones illae finales consistere tantum in conatu systematis nervosi, ut liberetur a stimulis supervenientibus aut ab agentibus nimis irritantibus, ex quibus multi a sanguine aliisque humoribus inferuntur. Nec ab hac sententia abesse censeo clarum Scheneider dum causam epilepsiae immediatam definivit « acerrimum facultatis expultricis contra mo-» lestias irritantes, in universo musculorum genere » excitatum certamen. » Ergo in majori ut dicunt nervorum susceptivitate ad impressiones persentiendas, in auctaque systematis animalis propensione ad motus abnormes adendos, et functionum exercitium deturbandum existimo hominis dispositionem ad epilepsiam sittam esse.

Temperamenta. Illa differentiarum conspiratio in structura corporisque compositione, cui nomen temperamenti inditum fuit, sicut indolem propriam omnibus hominibus dat, et proprium existendi modum, ut cum circumstantie non varient, et cogitet, et sentiat homo ab alio homine differenter, est causa quae ex semetipsa ad morbos quam plurimos et diversissimos homines disponit. Qui ergo temperamentorum characteres, morbosasque dispositiones considerat, facili negotio inveniet illa epilepsiae esse proclivia, quae a Neotericis sub nomine temperamenti sthenico-inexcitabilis et asthenico-incitabilis tradun-

tur. Sufficit illam pulcherrimam descriptionem temperamentorum legere a clarissimo Brera traditam, ut ea quae diximus vera inveniantur. Opportunum propterea hoc loco esse censeo verba illius ipsissima transcribere; et in primis quoad temperamentum sthenicum - inexcitabile haec habet: « Fornito l'uomo, » che è dotato di questo temperamento, d'arterie » poco eccitabili e di vene molto grandi, facili sono « nel medesimo le congestioni sanguigne e le vari- » cosità venose, ond'è che il delirio melanconico, » l'emorroidi, l'emottisi ed altre emorragie sono al- » trettante forme morbose cui dispone un tale tem- » peramento. Il languore di circolo nel sistema della » vena porta, devesi pure annoverare fra le condi- » zioni patologiche del temperamento stenico-inecci- » tabile, dalla quale circostanza sono da ripetersi in » esso, oltre i sovra accennati incomodi, eziandio l'an- » sietà, l'oppressione dei precordii, la cefalea e quan- » to può esser prodotto da un sangue sopraccarico di » carbonio. » Ex hoc ergo deducitur illos homines in quibus plethora systematis venae portae adest, pluribus abnormitatibus in circulatione subjici. Quapropter sanguis in vasis cerebri collectus nil mirandum si epilepsiam alat, foveatque; ipsa interea magnitudo venarum congestiones, humorumque collectiones adjuvans, effectus parum diversos edere nisa fuit. At silentio non praetermittenda carboniosa sanguinis conditio; Bichat enim sapientissime demonstravit quantum sanguinis qualitas in cerebri, aliarumque partium incitationem agat. En quod Brera de temperamento asthenico-incitabili tradit. « Il cuo- » re non è che l'intero sistema sanguigno, si muove

» con vivacità, e le pulsazioni del polso sono fre-
» quentissime.... Ridondando la bile per la facil-
» mente accresciuta attività epatica sono non di ra-
» do esposti alla nausea, al vomito ed alle diarree
» biliose.... Il sistema nervoso è quivi facilmente
» spinto all'eccesso dell'eccitamento, ond'è che con
» pari rapidità balzano da questo stato a quello del-
» l'infievolimento. Le nevraglie, le epilessie, gli spas-
» mi, le convulsioni, le cefalalgie, le coliche nervo-
» se, e l'isterismo trovano in queste costituzioni op-
» portunità decise allo sviluppo.» Ob nimium systematis nervosi incitamentum, quo facile corripiuntur illi, qui hoc temperamento praediti sunt, eorum ad epilepsiam dispositio originem trahit; nam si nimia sensibilitas ex se epilepsiam ingenerare solet, eo magis praedisponere potest; quamvis jam solam bilis redundantiam et facile perturbationem accessus hosce epilepticos et gignere historiis luculentissimis Tissot, Burserius, aliique probarunt. Si ergo nimiae systematis nervosi sensibilitati, bilis redundantia addatur, quis inficiat magnam in hoc temperamento ad epilepsiam dispositionem inesse?

Aetas. Ea quae de temperamentis diximus summopere valent, si variis aetatibus adplicare volumus. Quamvis nulla sit aetas hujus morbi expers, tamen pueri recens nati, propter nimiam eorum sensibilitatem, nervorum que mobilitatem propter insuetos stimulos quibus de repente, ex utero matris educti, exponuntur, propter structurae tenuitatem et mollitiem prae aliis praedisponuntur. Adde quod ea aetate causae occasionales agunt quod aliis minime accidit, ut ex. gr. actio meconii irritans, dentitio etc.

Mutationes quae tempore pubertatis supervenire solent in corpore, saepe epilepsiam sanant, quandoque vero facilius, illo momento, homines deprehenduntur et afflictantur.

Sexus. Foeminis quam viris familiarior hic morbus est, licet clarissimus Quarin contrariam sententiam affirmare non dubitaverit. Nos opinioni hujus sapientissimi viri observata Portalii objicimus, cum etiam compertum habeamus ex celebris Exquirol traditione hoc potissimum confirmari. Anno 1813 in Nosocomio Parisiensi Salpêtriere ducentum et octaginta novem foeminae epilepsia correptae ab Exquirol curabantur, dum interea Nosocomio Bicêtre solum centum sexaginta duo homines hoc morbo laborabant. Videtur ipsa delicatula foeminae constitutio, fibrarum summa mobilitas menstruationis aberrationes, graviditatis status causas praecipuas esse hujus morbosae dispositionis.

Vitia congenita, aut haereditaria. Quaesierunt multi utrum epilepsia morbus sit haereditarius, necne. Confirmarunt alii; alii negarunt. Historiae interea adsunt, a quibus deducitur in filios patrum epilepsiam descendere, aut silentem in filio ab avo ad nepotem transire; sed aliae contrariae historiae traduntur et Tissot qui hereditatem epilepsiae defendit se vidisse affirmat infantes plurimos a parentibus epilepsia correptis enatos, qui nunquam epilepsia laborarunt, sed obscuritas et perpetua incertitudo, quae in omnibus fere morbis haereditariis habentur, incertum judicium in hoc reddunt. Interim negandum non est fontem dubiorum errorumque perpetuum a motum ab illis fuisse qui omnes hereditarios morbos negarunt, quam-

vis hac sententia praecipiti veritates multas ab experientia probatas negarint. Quomodocumque tamen res se habeat, nemo negavit propensionem aliquam ad morbum derivare in filios ex parentibus epilepticis enatos. Illi ad epilepsiam etiam proni videntur qui ex patribus vitio scrophuloso, aut venereo, aut alio hujus generis laborantibus vitam assumunt, nec non illi in quibus calvariae ossa male conformata observantur. Affectiones animi demum matris in utero gerentis, morbi nutricis, ipsiusque animi pathemata, certa ad convulsiones et ad epilepsiam proclivitatem filiis impartire solent.

Causae occasionales. Priusquam ad causas occastonales pertractandas descendamus, ingenue fatemur, tam extensum eorum numerum nostris oculis apparere, ut omnes complecti et describere perdifficile opus nobis videatur, et speciatim cum in hac Dissertatione breviter solum epilepsiam describere conati simus; quamobrem, praecipuas solummodo frequentioresque pro nostris viribus describemus. Sunt qui tali tantaque ad epilepsiam contrahendam proclivitate mulctati sunt, ob eorum nimiam sensibilitatem, ut pueri ex. gr. ut a minima causa illico corripiantur moti aeris impressione vel frigore etc. De his neque verba faciemus, cum fere impossibile sit singulas recensere; sufficit tantum scire quod haec epilepsiae species existat, quodque non infrequenter a medicis observetur.

Epilepsia traumatica. Lapsus, ictus vehementes in aliqua corporis parte, speciatim in calvaria, cum ossium depressione aut fractura; fracturae in quibus schidiae musculos, nervos dilacerent, nervorum sim-

plices etiam punctiones, luxaturae, ipsae tandem magnae chirurgorum operationes causam saepissime praebent epilepsiae.

Epilepsia a dolore. Dolores quos excitant traumaticae causae jam supra memoratae, illi qui ab introducto aut efformato corpore in extima aut intima corporis parte, dimanant, ut ex. gr. a spina extremitatibus infixa, a calculis; epilepsiam promovere valent. Wansvietten historiam refert hominis epilepsia sanati post incisionem magni abscesus in regione coxae a quo partiuncula femoris cariosa exivit. Violentissimae cephaleae, dolores colici, in pueris dentitio difficilis, in mulieribus gravidis actio partus eam parere solent. Observandum est quod inter hasce causas, periculosiores et curatu difficiliores sunt illae quae prope cranium sedem figunt, nam ob doloris actionem, magna sanguinis copiam in cerebro appellatur, secum congestionis periculum ferens, ut in puerorum dentitione Portal observavit. Multi in quibus epilepsia a dolore aliquo in extremitatibus incipit sub accessionis exordium a doloris citu gradatim illam molestam impressionem adscendere ad cerebrum sentiunt, nec avertere possunt si ligaturis partibus et compressionibus utantur. Hanc rapidam morbi adscensionem auram epilepticam medici nuncuparunt.

Epilepsia ab excessu aut defectu evacuationum. Excessus naturalium evacuationum et profluvia immodica, inter praecipuas morbi causas locum tenent. Sudores copiosi, diarrhoeae, cholera morbus, diabetes, quamquam non frequenter, tamen causae epilepsiae adnumeratae fuere. Seminis amissionem aut concubiti ope, aut ope mansturbationis, causam fre-

quentissimam morbi omnes appellant, nam ut verbis Gaubii loquar, immoderata seminis profusio non solum utilissimi humoris jactura sed ipso etiam motu convulsivo quo emittitur, frequentius repetito, in primis laedit. Generosa profluvia sanguinea saepenumero spasmi et convulsiones subsequuntur, ergo nil mirum si ipsa pariant epilepsiam. Neque minus valent retentiones. Juvenes epistaxi laborantes si epistaxis cesset aut impediatur, epilepsia occupantur. Homines in quibus fluxio vasorum haemorrhoidalium consueta evasit maximo in periculo versantur, si supprimatur; habitudo veluti secunda natura est; inter mala quibus exponuntur, certe non rarum, neque minus grave epilepsia est. Morgagni, Lamotte, Lieutand, Tissot suppressioni menstruorum et lochiorum epilepsiam narrant supervenisse. Fluores albos nimis rapide suppressos ad eam promovendam valere non dubitamus, auctoritati virorum clarissimorum innixi. Portal observationem renovavit jam antea a Tulpio relatam et vidit et narrat epilepsiam supervenisse suppressioni capillorum exudationis. Nimia seminis retentio, praesertim in his qui robusto corpore donati sunt, morbum quandoque ciere admonuit Tissot, qui sub auctoritate antiqui medici narrat dum Italiae bellum pareretur, anno 1734-35, multos Germanos milites ob hanc causam epilepsia decessisse. Huc referuntur ulcera antiqua clausa ad cicatricem ducta. Quae retentiones cum eveniunt semper plethoram vasorum plus minusve gravem, secundum humorum retentorum qualitatem, offerunt, ipsasque inflammationes non raro ingenerant saepe cum activa humorum effusione in cerebro, aut alibi comitatas.

Epilepsia ab inflammatione. Et cum de inflammatione locutus sum animadvertendum puto non a sola cerebri inflammatione epilepsiam excitari, cum jam cordis, pulmonum, ventriculi, intestinorum, hepatis, pancreatis, renum, uteri, vesicae inflammatio, ab accuratis auctoribus frequentissima epilepsiae causa inventa sit. Anatome pathologica multos inflammationis exitus in cadaveribus epilepticorum demonstravit. Effusiones sanguinis, seri, aquae, puris, tumores, atque vasorum ossificationes, multaque alia vitia, in cerebro inventa fuere, dum interdum pulmonum degenerationem, hepatis scirrhositatem, vesicae, ureterumque ruborem, ventriculi gangraenam ipsam anatomici adnotarunt.

Epilepsia ab ingurgitatione. Inter illas substantias quae interius inductae morbo fomitem praebere valent, illas primum omnes enumeremus, quae ad corporis sustentationem, augmentumque a tribus naturae regnis sumuntur. Cibi aut malae indolis, aut magna quantitate sumpti, aut nimis aromatici cum difficiliter digeruntur irritationes vivissimas in ventriculi, intestinorumque textu excitant, quae per nervorum consensus propagatae convulsiones et spasmodicos motus ingenerant, nunc usque ad indigestionis cessationem perdurantes, nunc etiam ultra, causa licet sublata, quando nempe impressio perintensa fuerit. Substantiae venenosae inter quas fungi venefici, venena mineralia et vegetabilia praesertim illa acria et irritantia talem pathologicam conditionem in ventriculi, intestinorumque parietibus inducunt, ut alias etiam partes, cerebrum praecipue in consensum ducant. Sed non solum per deglutitionem ve-

nena in corpore introducuntur, ibique inter alios morbos epilepsiam promovent, cientque. Morganius observationem tradidit a Vallisnieri memoratam et narrat pharmacopolam motibus convulsivis fuisse deprehensum dum venenum, cujus emanationes solum mortales erant, praeparabat.

Epilepsia febricosa. In epilepsia sic dicta febricosa a Sauvages, morbus gignitur ab illis omnibus causis quae febres intermittentes gignere solent, ergo cum febribus complicatur et cursum periodicum habet.

Epilepsia exanthematica. Eruptionem quorumdam exanthematum ut ex. g. variolae, cum etiam bonam faciem praeseferat, aliquando accessus epileptici, in homine praedisposito, comitantur id quod irritanti actioni contagionis corpore introductae est tribuendum. Repentina illorum retropulsio, aut eruptio imperfecta eosdem edunt effectus. Morganius mortem Cardinalis Barbadici memorat ob erysipelatis in febri perniciosa retrocessionem.

Epilepsia a corporibus nostro organismo efformatis. Saepe saepius ob causas, non adhuc pleno lumine positas, in humano organismo sponte corpora nascuntur, quae cum assimilationis leges quibus alia introducta corpora obbediunt, effugiant, nec semper a corpore facili modo exeant, perpetua irritatione, loco in quo resident, plurimis morbis originem praestant, inter quos ipsi epilepsiae. Damnosiora ea corpora sunt quae in aliquo viscere latent oeconomiae animali pernecessario; sed quamvis in extremitatibus sedem ponant, morbum ingenerare ut vidimus, non infrequenter solent. In quibusdam epilepticis anatomici invenerunt concretiones petrosas

in cerebro, in aliis, sano cerebro, inventae fuere in vesicula fellea; et Conradus Fabricius in epileptico hac causa demortuo, vesiculam felleam ducentenis calculis plenam reperiit. Calculi in uretere, et in vesica ipsissimum generant effectum. Huc refero in pueris recens natis irritantem meconii actionem huc etiam illam quarundam viventium familiam nostris corporibus residentium; loquor de vermibus. Fere innumeri morbi a vermium actione proficiscuntur, praesertim convulsivi. Nec solum tubum gastro-entericum illi ingrati ospites tenent; Morganius, Tissot, Lieutand, Portal exempla offerunt plurium epilepticorum, in quibus vermes fossas nasales tenebant.

Epilepsia cachectica. Ea vitia assimilativo-vitalia quae diximus praedisponentem morbo praebere causam, et quae a Neotericis habitus morbosi appellantur, cum magna sint atque extensa, causam etiam occasionalem praebere observationes demonstrant. In illis principia non homogenea in organica mixtione introducta, regulare incitamentum perturbant, secretiones organorum vitiant, magnasque suscitant irritationes. Interim fabrica, partiumque intima structura vitiatur, non solum intima sed etiam externa forma mutatur. Ita epilepsia insurgit in homine habitu scrophuloso, aut rachitico praedito, non solum propter humorum turbatam compositionem, verum etiam propter viscerum imi ventris congestiones et tumores, propter cerebri induramentum, mollitiem, aut exulcerationem. Ipsa aliquando in scrophulosis aut rachiticis impedita cranii evolutio ob cerebri compressionem causam praebet epilepsiae. Columna vertebralis in illis saepe a proprio situ aberrat et medullam aspere comprimit, aut, si virus venereum cau-

sam praebet, tophi, gummata, exostoses internam cranii tabulam saepissime tenent. In habitu impetiginoso, irritans principium ad cutem tendens, cum ab illa recedat, internasque partes et cerebrum specialiter afficiat, gravisismas parit epilepsias; gravissimas dixi, nam difficillimum opus quandoque est illud ad cutem iterum advocare. In opera Tissotii casus narratur alicujus hominis congestionem cutaneam ad frontem ferentis, qua retropulsa illico epilepsia laboravit, et dum frustra tentatum sit eruptionem ad locum primum revocare, miserrime vita decessit. Ea quae diximus valent pro habitu rheumatico, et arthritico. Verum relinquendum non est vitium illud bilis quo ipsa irritans facta saepissime epilepsiam provocavit.

Epilepsia hydrophobica, aut rabida. Quandoque inter symptomata epilepsiae horror aquae eminet, nec non mordendi desiderium. Trolliet exempla hujus morbi tradidit et Burserius narrat post morsum canis rabidi epilepsiam supervenisse.

Epilepsia ab animi pathematibus. Tandem ad causas deveniam communissimas, magnique momenti. Inter animi affectiones morbo originem praestantes, ira praesertim, amor, mentis exercitationes immodicae collocentur, sed nulla certe tantum valet ad epilepsiam evolvendam quantum terror. Sola rei terribilis recordatio quandoque ad eam suscitandam sufficit. Wansvietten puerulum vidit hoc morbo deprehensum postquam a cane petitus fuit. Quoties ad memoriam illius idea illa superveniebat toties morbo laborabat. Ait Lintilius gravidam foeminam epilepsia fuisse deprehensam et necatam, cum hominem

tempore accessionis epilepsiae vidisset. Plurima exempla fere similia in operibus Villis, Tissot, Pinel, Esquirol inveniuntur. Exinde deducitur quantum illi a via recta declinent qui nigris historiis puerorum immaginationem terrent. Ita mala plurima quandoque mortem ipsam illis parant. Praecipuas tali pacto causas descripsimus, inter quas multae inveniuntur, quae ex se morbum efformant; quapropter complicationes multae etiam descriptae fuere. Ita epilepsiae symptomata vera, cum aliis morbi symptomatibus saepe copulantur, quae ab historia illorum morborum deduci possunt, quin tradamus. Sufficit solum scire quod multi sint qui epilepsiam tanta industria simulant, ut medici sapientissimi interdum ab histrorum malignitate fuerint decepti; sed attenta symptomatum verae epilepsiae consideratio, et cum illis simulatae comparatio, ipsaque medici artificia non mediocriter ad fraudem agnoscendam juvabunt.

Morbi sedes. Nullus forsan est morbus in cujus sede determinanda medici inter se magis discrepent, quam epilepsia. Viri sapientissimi opiniones diversissimas defendere conati sunt. Piso semper in cerebro collocat, contenditque non credendum esse epilepsiam dum incipit a manu, a brachio etc. ibi sedem habere, cum jam partes istas in consensum ducantur cerebri affectione. Hanc ipsam opinionem probavit amplexusque est Thomas Villis, et ipse Portal sedem epilepsiae in cerebro adserit, auctoritate B. Moor. At Tissot, Lieutand, Vepfer, ipseque Burserius contrariam opinionem amplexi sunt. Inter quas medicas dissentiones, licet semperque licebit ad illam sententiam accedere, quae unicuique magis probata vi-

detur, quod cum sit, ego rationi et experientiae congruum invenio non in solo cerebro, sed in aliis corporis partibus epilepsiam quandoque sedem habere. Cum laesio aliqua accidat ex. gr. in parte nervis referta et per hanc nervorum copiam cum aliis partibus et cerebro ipso communicante, nihil obstat, quin aliae partes, cerebrumque ipsum in consensum ducantur, ex eo quod, sicuti cerebrum propter nervorum propagationem in totum corpus agit, ita partes omnes in cerebrum quoque reagunt. Nec credo dolorem brachii, aut surae a quo epilepsiae accessus praemonentur, semper ab affectione cerebri excitari, si ope topici remedii accessus avertuntur. Ligaturae non ne saepissimae, ut vidimus, epilepsiam a dolore alicujus partis enunciatam, avertunt? Id, ni fallor, significat ab illo loco morbosos influxus adscendere a quibus cerebrum deinde afficitur. Anatome pathologica laesionem alicujus visceris demonstravit aut partis alicujus cerebro illaeso. Quod si, ut Portal ait, sensuum amissio, delirium etc. semper in hoc morbo laesionem cerebri indicant, quae aliquando tam minima est ut oculis anatomici effugiat *dans le cerveau surtout, organe si moou et encore si peu connu de nous*, non indicant certe ibi semper morbi esse sedem; secus consensuum leges inutiles essent, cum medici semper credant morbos ibi sedem fixisse ubi irregulares manifestationes apparent. Credo post longas, repetitasque accessiones in illa epilepsia, quae ab aliqua corporis parte principium sumit, conditionem aliquam pathologicam in cerebro efformari, et ipsum etiam in symphthicis epilepsiis interdum morbi sedem fieri, sed puto non semper hoc accidere, et aliquan-

do cerebri perturbationem tam minimam esse, ut ipsa causis, alio in loco existentibus, sublevatis, rapide cesset. Ita evenit certe illis in casibus, in quibus post conditionem morbosam alicujus partis evictam, morbus cessat, ut ex. gr. post spinae abductionem in aliqua extremitate infixae nec amplius apparet. Cum ergo hoc ab experientia probatum sit, quum anatome pathologica nobis laesionem in cerebro non indicet ibi non semper eam adesse affirmamus.

Epilepsia sympathica et idiopathica. Distinctio illa utilissima est quae epilepsiam in idiopathicam, nempe suam sedem in cerebro habentem, et in sympathicam nempe habentem in aliis partibus, distribuit.

Hujus morbi ab aliis distinctio. Epilepsia distinguitur ab apoplexia, quia non solum apoplexia rarius recurrit, sed quia nunquam convulsionibus stipetur, et cum musculorum relaxatione conjuncta sit. Ab hysteria, nam quamquam in hysteria convulsiones, adsint et sensuum fere omnium amissiones, tamen saepe aliquam sensibilitatem conservant, nec post accessiones tam facile memoriam ammittunt. Distinguitur etiam per animae extra paroxismum indifferentiam in epilepticis, hystericae sensu suffocationis et abdominis globo laborant. A tetano quod in hoc convulsiones tonicae trunci, membrorumque semper observantur.

A cathoco ex summa agitatione omnium musculorum, quae agitatio in cathoco non tam generalis nec tonica est; tandem cathocus morbus est acutus.

Ab eclampsia nam chronica est, et longos accessus habet.

Morbi prognosis. Hujus morbi prognosis secundum aetatem, sedem, accessionum vim, et longitudi-

nem, complicationes, causas denique variat. Puerulis recens natis superveniens semper fatalis est; si ante pubertatem incipiat aliquando vincitur; contra si post pubertatem. Senili aetate contingens, et cujus accessus frequenter appareant, saepe in apoplexiam desinere solet. Generatim epilepsia quae a causis pendet amovendis interdum curationem non respuit; idiopathica periculosissima est, quia causae ut plurimum ignorantur, et in cerebro facili negotio conditiones pathologicae gravissimae efformantur. Minus periculosa sympathica est, cum symptomatibus minoris intensitatis stipetur et cujus causae evidentiores sint. Epilepsia nullo praenuncio signo invadens fere incurabilis. Illa quae a causis non facile amovendis ortum ducit periculosa, ut si ex. gr. a mala ossium capitis aut columnae vertebralis directione pendeat, aut pendeat a fluida materia interne evasata, prout gravissima est illa quae in homine anasarcatico insurgit; saepe enim aqua in cerebro anatomici invenerunt. Violentiores accessus subitaneam quandoque mortem afferunt. Si vehementes sint, et saepe repetiti, semper ni crescant, apoplexiam, paralysim, sensuum amissionem, maniam haud raro relinquunt. In gravidis epilepsia laborantibus abortus sequitur; exempla tamen extant mulierem epilepticam, tempore graviditatis, sanos filios luci dedisse. Illa quae a fluxuum suppressione, a retrocessione, aut difficili eruptione alicujus exanthematis pendet, si fluxus aut exanthema in opportuna loca advocatur, curationem admittit. Puellae propter magnam uteri sensibilitatem epilepsia laborantes, matrimonii ope sanantur. Febris quartana, abscessus, scabies, evacuationes spontaneae morbum aliquando curarunt. Bonum est

si post accessionem aeger neque stupidus neque languens remaneat; contra malum.

Curatio tempore paroxysmi. Tempore accessionis aeger in lectulo collocetur, ne damnum patiatur, ille supinus degat, capite elevato; membra convulsionibus deprehensa non violenter, neque dure teneantur, motus dulci modo sequantur. Ne lingua feriatur aut contrita remaneat in ore linteum ponatur. Corpus oleo inungatur, aut emollientibus linimentis fricetur. Sunt qui spirituosa linimenta commendant, sed Portal hisce opinionibus adversatur. Si magno aeger sopore detineatur ad missionem sanguinis recurrere opportunissimum est ne apoplexia corripiatur; quae sanguinis missio quum difficulter lanceolae ope instituatur, sanum est hirudines applicare praesertim ad collum; denique ligaturae in variis partibus corporis institutae multum valent. Odores stimulantes Burserius laudat, in hoc multis contrarius qui stimulum prope cerebrum ab odoribus inductum non sine ratione, metuunt. Infausta exempla hujus regulae traduntur a Caelio Aureliano, a Valsalva, a Morganio, a Tissot etc.

Curatio post accessus. Post accessus summo cum studio medicus causas scrutetur, illasque idoneis remediis si possibile est, tollat. Ergo si a causis incitamentum augentibus epilepsia ortum duxit, si plethora adest, cum fructu phlaebotomia instituitur, sed si haemorrhagiae aut longae evacuationes antecesserint et aeger pulsus debiles exhibeat, viresque depressas, sanguini parce. Vesicantia in epilepsia idiopathica et in hominibus succosioribus ad regionem capitis adplicita Franciscus Lerrans a Morganio citatus utilissima invenit. In sympathica verum, ut Portal observavit, mala

plurima inferre solent illo loco posita, tutius in hac epilepsiae varietate partibus dolorosis adplicentur, ubi sedes epilepsiae sympathicae existit. Cauteria utiliter adhiberi solent nunc ad regionem cervicis et columnae vertebralis, nunc ad extremitates, seto, cucurbitulae, moxa ipsa talis legibus adplicantur. Balnea tepentia ut ad omnes morbos convulsivos curandos ita ad curandam epilepsiam praedicata fuere, nec incassum. Utilissima praesertim sunt ad cutis et musculorum rigiditatem tollendam, ad evocandam ad cutem eruptionem jam retropulsam, sed cavendum est balneis summopere calidis aut frigidissimis. Emetica adhibuerunt medici praesertim ubi epilepsia a saburra, aut glutita aliqua venenosa substantia originem ducat; sed cautissime adhiberi debent, quia propter majorem sanguinis et humorum ad cerebrum affluxum, mala conciliant; in idiopathicis epilepsiis fere proscribenda sunt secundum Burserii sententiam. Purgantia magis idonea videntur cum adsint in tubo enterico aut congestiones mucosae aut faecales aliquando prodesse possunt propter irritationem quam pariunt in intestinis ad cerebrum exonerandum, sed non cuivis temperamento, ait Burserius, aetati, sexui, habitui, et causae opportuna esse queunt.

Remedia specifica. Illi qui unum remedium sine aliqua causarum et indicationum indagatione ut specificum praedicavere se ipsos, et alios deceperunt. Cum a tanta causarum varietate epilepsia pendeat, cum accidat in hominibus tant variae indolis et morbosae proclivitatis, quis credat ab uno eodemque remedio semper epilepsiae curationem radicalem determinari? Quod nonnullis, omnibus minime prodest,

ergo semper causas investigare opus erit, indicationes statuere, et tunc remedia quae nunc describemus, variis in casibus rationaliter adplicare. Nec verba faciam de specificis quae a caeca superstitione, temporibus praeteritis proponebantur. Mens nostra tantum quandoque aberrat, ut priscis illis temporibus homines non horruerint humanum sanguinem bibere, et cranium latronibus furcam suspensis secare, eumque pulveratum sumere ad epilepsiae curationem. Radix valerianae sylvestris jam ab antiquo, a Galeno nempe, et a Dioscoride, ut optimum antiepilepticum praedicata fuit. Recentiores medici veram, non inanem famam hujus plantae invenerunt eaque utiliter usi sunt. Juvat praeterea scire quod juxta clarissimum Alibert et Portal observata, valeriana minime praescribenda est ubi plethora et irritatio subsistat. Cortex peruvianus remedium optimum praestat praesertim quando morbus cum febribus intermittentibus conjungitur, et periodice recurrit. Observationes plurimae efficaciam chinae-chinae prudenter administratae in morbis convulsivis probant. Heisterus, Torti, Tissot, Alibert illam in morbo epileptico commendarunt. Dicitur emolumentum praestare ruta graveolens tum cum naribus applicetur, tum si forma succi exhibeatur. Opium quasi summum remedium in morbis convulsivis plurimi tenent. Portal autem sapientissime indicavit quibus in casibus epilepsiae, utilitatem praestet, quibus noceat et jam antea a Tralles multa de opii in epilepsia usu dicta fuere. Illa epilepsia a plethora aut alicujus partis inflammatione orta nullum adjuvamentum certe, damnum potius ab opii praescriptione accipit. Hyo-

scyamus propter actionem suam contrastimulantem, et narcoticam anteponendum est opio ubi plethora aut inflammatio adsint, et necessarium sit motus convulsivos compescere. Postremis hisce temporibus illum in morbis convulsivis, inflammatione conjunctis, feliciter medici adhibuerunt. Sed etiam Mayervius, celeberrimus in Aula Regis Magnae Britanniae Archiatrorum Comes proposuerat ut remedium nobilissimum hyoscyami semina, ut Burserius refert. Extractum stramonii, asa foetida, tilum, allium sativum, paeonia officinalis, digitalis purpurea, multaeque aliae plantae in usum ductae fuere.

Ex regno animali succinum cum suis praeparationibus, castoreum, moschum laudarunt. Moschus praesertim utilitatem affert, exceptis illis casibus, in quibus sanguis ad caput tendit, ut Tissot admonuit.

Flores zinci inter remedia ex regno minerali ducta laudem quoque obtinuere; optimos effectus praestare vidit ipse Burserius.

Cuprum laudem ad coelum multi elevarunt. Boerhavius solutionem cupri in sali ammoniaco omni studio commendat, Duncan, Heysham, Bat hoc remedio usi sunt cum exitu felicissimo, tandem Weismann contra epilepsiam verminosam sulfatem cupri proposuit. Plurimi mercurium dulcem aliaque mercurii praeparata summopere commendarunt, praesertim ubi humores ad caput tendant, aut collectio humoralis in cerebro incipiat. Antimonium, ferrum speciatim, si virium inertia adsit, aut imi ventris congestiones passivae, ipsumque nitratem argenti proposuerunt. Petitis dosibus nitratem argenti medici propinarunt quam Fauquier eum altis dosibus administrare non timuit.

Denique si extranea corpora, aut introducta, aut efformata in organismo existant, et chirurgi manus tollere possit, tollat. Accessus qui a dolore extremitatum incipiunt ligaturae ope avertuntur, aut nervos secando communicationem cum cerebro habentes. Portal sectionem nervi radialis cum epilepsiae cessatione memorat, et a Wansvietten, a Tissot, a Burserio similia exempla traduntur. Generatim, ut diximus, causae fugandae sunt; si ergo causa morbi ex se morbus sit, ea omnia conveniunt remedia quae illi morbo communiter opponuntur. Interim non solis medicamentis curationem medico tentare licet; peregrinationes, sanguinis missio periodica, si aeger plethoricus sit, a crapula, omnibusque substantiis nimis irritantibus abstinentia, mentis tranquillitas, amicorum societates curationem saepissime absolvunt.

Haec sunt illa quae, pro nostris viribus, de epilepsia dicere conati sumus; quod si forte accidat ut rem aliquam nec satis explicatam, nec satis experientiae vi roboratam lectores nostri invenient, venia concedatur; dato otio et observatione concessa, plurima emendare plurima addere in mente habemus.

THESES DEFENDENDAE

****

I.

Epilepsia interdum morbus haereditarius.

II.

Superfoetatio non deneganda.

III.

Epilepsia plerumque in apoplexiam desinit.

IV.

Ferrum inter remedia roborantia recensendum.

V.

Epilepsia frequentior est in pueris quam in adultis.

VI.

In inflammationibus localibus magis quam depletiones generales, locales juvant.

VII.

Epilepsia in adultis difficillime sanatur.

VIII.

Abortiva stricte sic dicta, extra mechanica non dantur.

IX.

Datur epilepsia ab inflammatione arachnoidae praecipue cervicalis dependens.

X.

Ad evincendam epilepsiam nullum pharmacum certum habemus.

XI.

Electricitas tentanda est contra epilepsiam.

XII.

A terrore pluries gignitur epilepsia.